

NB The title page was

"Notae desumptae ab alumnis"

But they cannot be notes taken down during lectures.

They must (99% sure) be transcribed from

Bl's own lecture notes

These are located in the Archives (Babot V, no. 1, ni fallor) and agree word for word (except for marginal hand written notes) with the set De mathematicis, issued for 1962 Institute.

- The latter, however, are cut off early. The last part of the lectures apparently not being available for transcription when latter was rounded off. (MGS has added to our library set the missing pages.)

F.C.

Dec. 18/89

N.B. Note how different
the 1963-64 course ^{*} is
from the 1961-62

* See T. Daly set of notes.

5 2 62

Bibliographica.

Y. Congar, art. Théologie, DTC XV, 29(1946), 341-502. Bibl. passim in articulo et post. Explicite de methodo, 462 ss.

A. Lang, art. Erkenntnis- u. Methodenlehre, LThK, III, 1003-1012.

C. Colombo, apud Problemi ex Orientamenti, I, 1-56; bibl., 48-56. Milano 1957.

B. Xiberta, Introductio in sacram theologiam, Madrid 1949, Bibl., pp. 34-58.

Modus procedendi.

E multis etiam diversis incipi posset: abstracte ut quaeratur ~~quid~~ quid sit theologia; concrete ut narrentur problemata theologica contemporanea; explicative ut causae exponantur unde problemata contemporanea sint orta.

Visum tamen est ex abrupto incipere, ut primo capite de ratione methodi, altero de problematica quaedam prima in antithesibus radicalibus ~~ita~~ fundata

Visum tamen est ex abrupto incipere. Primo ergo capite notiones generales de methodo traduntur. Altero exponitur prima quaedam problematica quae in antithesibus radicalibus fundantur et theologiam ut scientiam respicit. Tertio exponitur altera problematica quae in re sociali, historica, hermenkeutica fundatur et theologiam respicit ut scientiam verbo Dei et corpore Christi mediatam.

Caput primum: De methodo in genere.

7 1. Theologia tractat de Deo et de aliis quae ad Deum ordinantur.
Sum.theol., I, q. 1, a. 8 c. et 2m.

Consideratio methodica tractat non de obiecto sed de subiecti operationibus et de ipso subiecto seu theologo.

Directe ergo non quaeritur de Deo, de scriptura, de consiliis, de patribus, de liturgia, de scholasticis, sed de TE et de TUIS operationibus.

Quod non dicit totalem obiecti neglectum.

Nam sine obiecto nulla prorsus est operatio, et sine operatione redit subiectum ad statum inconscium.

Quare consideratio ~~est~~ methodica, incipit quidem ab obiecto ita tamen ut in obiecto investigando non sistat sed ad operationem subiectumque redeat.

Advertitur ergo ad obiecta, non propter se, sed propter mediationem quam praebent ut subiectum eiusque operationes investigentur.

2. De operationibus in genere.

- a Jean Piaget, La Naissance de l'intelligence chez l'enfant, Delachaux et Niestlé, Neuchatel et Paris, 1936.
 Idem, La construction du réel chez l'enfant, DN, 1937.
 Idem, Le langage et la pensée chez l'enfant, DN 21930
 Idem, Le jugement et le raisonnement chez l'enfant, DN 21935
 La représentation du monde chez l'enfant, Alcan Paris, 1926
 La Causalité physique chez l'enfant, Alcan 1927
 Le jugement moral chez l'enfant, Alcan 1930, 1932
 La formation du symbole chez l'enfant, DN 1945

Theoria aristotelica de habitibus investigationibus empiricis completur, et quantum ad unitatem habituum perficitur.

- operationes /*
 b Operationes incipiunt ex naturalibus habitibus, potentiis
 Quae, tamen de se sunt approximativae, parum efficaces, parum oeconomicae

atae /
 Nisu usuque fit accommodatio ad obiecta particularia, unde et oritur operationum differentiatio: loco unius operationis inefficaciter ad multa obiecta adhibitae, habentur multae operationes paullulum inter se differentiae quae simulae ad obiecta sua adaptantur

Sequitur combinatio operationum differentiarum: quod maximum quoddam incrementum dicit (cf math de permutationibus et combinationibus)

Proceditur ad complexionem completam combinationum operationum differentiarum (Group theory:

G. Birkoff & S. MacLane, A Survey of Modern Algebra, revised edit., New York Macmillan 1953, chaps I et VI.
 A Speisner, Theorie der Gruppen von endlicher Ordnung, 3 1937, Berlin J Springer; NY 1945.

H. Zassenhaus, The Theory of Groups, ET S Kravatz, Chelsea Publishing House, 231 W 29, NY 1, 1949; Bibliography.

Ulterius proceditur ad complexiones complexionum.

Habitus acquisitus: quo quis sine ulteriori exercitio, addiscentia, persuasione, facile prompte delectabiliter ponit quamlibet combinationem operationum differentiarum ex complexione quadam completa.

- c Incipitur ab obiectis immediatis: quae gustantur, quae manu tanguntur, quae oculis videntur, per omnes motus corporis

Proceditur per obiecta mediata: non ipsa obiecta attinguntur sed eorum imago, eorum repraesentatio linguistica, eorum repraesentatio technica (math, logica, scientiis).

Denique ipsae operationes per se ipsas mediantur: et eiusmodi est consideratio methodica.

- d Brevitas considerationis methodicae.

Comparatae: sonos alicuius linguae, omnia nomina et verba eiusdem linguae, omnes combinationes nominum et verborum

claves organi vel machinae dactylographicae, et omnia quae organo sonari, machina dactylographica, exscribere possunt operationes fundamentales quae in opere Euclidis, in Contra Genes S. Thomae adhibentur, et theorematum, argumenta, quae diversis accommodationibus, combinationibus, efficiuntur.

3. De subiecto operante in genere.

Notissimum axioma scholasticum: quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Scilicet, unumquodque subiectum tales et tales habitus operandi iam acquisivit; prompte facilliter delectabiliter quamlibet combinationem operationum differentiarum secundum eos habitus elicit, sive apprehendendo, sive appetendo et volendo, sive efficiendo

At novas operationes non facit nisi quatenus veteres quodammodo ad nova obiecta accommodat; indiget novo exercitio, nova addiscentia, nova persuasionem (ab alio vel a se ipso).

Quo iunior est, eo facillius nova tentat; quo senior, eo difficilius credit se habere nova addiscenda, novam et meliorem voluntatem acquirendam, nova exercitia tentanda

Unde horizon: actualis capacitas subiecti ad operationes eliciendas definit quasi mundum quendam -- quae intra horizontem iacent, ea facillime apprehendit, appetit, facit -- quae ultra horizontem iacent, ad ea vix attendit, vix attendere potest -- ei enim addiscendum, persuadendum, exercendum est, quod saltem tempus requirit, et tot tantisque negotiis iam implicatur ut tempus non habeat.

Qui horizon non est limes quidam absolutus: obiectum formale intellectus est ens, verum; obiectum formale voluntatis est bonum

Absolute potest ad omne ens attendere, ad omne bonum amandum sese convertere; quod tamen absolute potest, ~~in~~ actu non facit sine addiscentia, persuasionem, exercitio.

De horizonte ampliando

Primo modo, augentur operationes circa obiecta immediata.

Altero modo, augentur operationes operando circa obiecta ^{vulgari} mediata; quaecumque imaginatione representari possunt, lingua dici possunt, modo tecnico dici possunt.

Tertio modo, augentur operationes operando modo reflexo super ipsas operationes -- praesupponit evolutionem circa priores duos modos, secus neque solida est neque in ipsam operabilia extendi potest -- sed maxima generalitate ~~et~~ atque efficacia ~~qua~~ gaudet -- nemo bene cognoscit quamlibet scientiam donec exacte cognoscat quid praecise in ea scientia fiat (O'Connor, math).

De conversione subiecti

Est reorganizatio ipsius subiecti, operationum, mundi; non agitur tantummodo de horizonte ampliando (quamvis hoc quam maxime facit), sed de mutatione perficienda in ipsa subiecti interioritate.

Conversione moralis: ex obiectis desiderii, timoris, ad id quod esse debet tanquam absolutum, quod valet sive placet sive non placet.

Conversione intellectualis: usque ad aetatem 7 annorum nondum ad usum rationis pervenimus; attamen mundum realem realiter nos cognoscere arbitramur; quae convictio fundamentalis neque revisa et correctam per reliquam vitam manere potest. Ocularite; Scotus et Kant de obiectivitate.

Conversione religiosa: ex ordine naturali humanistico ad ordinem christianum.

De subiecto inauthentico

Authentia, inauthenticitas dicitur dupliciter: relative, absolute.

Relativa est secundum comparationem ad determinatam quamdam doctrinam, religionem, modum vivendi, culturam. Ita sunt authentici et inauthentici Thomistae, Hegeliani, Christiani, Buddhistae, Britannici (Americani 100%), moderni, etc.

De quibus: K. Jaspers, *Psychologie der Weltanschauungen*, Berlin 1925; *Psicologia delle Visioni del Mondo*, Romae 1950

Relativa inauthenticitas est divergentia inter id quod subiectum re vera experitur, intelligit, verum esse iudicat, efficaciter vult et, alia ex parte, modum experiendi, intelligendi, ~~et~~ iudicandi, volendi, vivendi, agendi, qui talem doctrinam, religionem, culturam characterizat

Quae quidem divergentia non est completa: habetur series punctorum in quibus datur coincidentia, conformitas, congruentia

Propter hanc coincidentiam subiectum credit se re vera esse Thomistam, Hegelianum, Christianum, Buddhistam, etc.

Unde ipse de se ipso in suo foro interiori cogitat iudicat quasi esset Thomista vel Hegelianus, etc.

Attamen praeter partialem coincidentiam, etiam existit divergentia. At ad hanc divergentiam subiectum non attendit, imo ipsa divergentia quodammodo ultra suum horizontem invenitur.

Unde adhibet nomina et verba, terminos technicos imo et ~~inter~~ principia et theoremata, non sensu obiectivo et proprio, sed alio quodam qui propriae mentalitati, orientationi, modo vivendi convenit

Sequitur ~~systematica~~ quasi systematica quaedam simplificatio, devalorizatio, deformatio doctrinae obiectivae

quasi systematica: scilicet effectus est ad modum systematis, sed causa est per accidens; minime intenditur simplificatio, devalorizatio, deformatio; quinimo, ipse se credit et esse vult quam maxime authenticum, fidelissimum discipulum, ab omni originalitate et omni opinione personali alienissimum

Quae relativa inauthenticitas fieri potest in solis individuis, sed ad individuos minime restringitur.

Inauthenticus potest praedicare, alios dirigere, publice docere, libros componere, magna aestimatione ab aliis inauthenticis haberi, doctrinam antiquam nostris diebus modo magis accommodato sed "omnino genuinam" exponere.

Sic scholae in partes scindi possunt; sic tota quaedam schola in decadentiam ruere potest; sic ordo religiosus corruptioni obnoxius est et reformatione ~~id~~ indigere potest.

Tunc securis est mittenda ad radicem, sed perpauci admodum erunt qui necessitatem securis perspiciant. Requiritur Ioannes Baptista, et sicut olim ita etiam in subsequentibus temporibus timere potest Ioannes de capite suo ne abscindatur et in disco ponatur.

Congar DTC XV 410; Gilson, *Le philosophe et la théologie*, 172.

De inauthenticitate absoluta.

Heidegger, *Sein und Zeit*, modo quodam magis absoluto inauthenticam concepit; inauthenticus est qui propriam suam responsibilitatem personalem assumere non vult; facit quod faciunt caeteri, qui pariter faciunt; [vult quod volunt caeteri, qui pariter volunt; iudicat sicut iudicant caeteri, qui pariter iudicant;] dicit quod dicunt caeteri qui pari modo loquuntur. Nemo est qui suo Marte, propria responsibilitate, iudicat, eligit, loquitur, facit

Iterum, inauthenticus est qui a rationalitate deficit: homo est animal rationale; animalia non-rationalia; parvuli praerationales; adulti vel rationales vel irrationales; unde dialectica Insight, cc. VII, XVIII, XX; etiam XIV de methodo metaphysicae.

ut ipse
operatur

4. De obiectis sub aspectu methodologico.

a Obiectum est vel materiale (res de qua agitur, theologia de Deo) vel formale (ratio sub qua res attingitur, ita theologia naturalis de Deo rerum omnium principiorum et fine, theologia dogmatica de Deo uno et trino salutis supernaturalis auctore).

b Obiectum formale dupliciter considerari potest, de iure, de facto. De iure, prout in definitione ponitur, prout habitu scientifico ideali, perfecto, attingeretur. De facto, prout tali complexione combinationum operationum differentiatarum de facto attingitur.

c Sub aspectu methodologico considerantur obiecta formalia, praecipue de facto, sed etiam [secundum criteria authenticitatis, dialecticae]. [de iure]

d Consideratio methodologica obiectorum non solum divisionem scientiarum sed etiam earum evolutionem investigat.

Divisio: logicus est qui tali et tali operationum complexione utitur, qui sic et sic procedit; et similiter mathematicus, physicus, chemicus, biologus, psychologus, philosophus, theologus; omnes enim modo suo operantur. - *Necessarius modus divisionis ubi scientiae sunt non in facili non sed in fieri.*

Evolutio: discernuntur stadia in singulis disciplinis progredientibus vel aberrantibus: talis et talis tali tempore facta est operationum nova differentiatio, differentiatarum combinatio, combinationum aucta vel minuta complexio

Unde et scholae distingui possunt, vel scientiarum subdivisiones, partes, etc.

e Consideratio methodologica extenditur ultra campum scientiarum ad modos operandi non-scientificos.

Homo intelligentiae vulgaris, sensus communis, tali et tali modo procedit, talibus operationum complexionibus utitur.

Neque sensus communis, intelligentia vulgaris, semper et ubique una et eadem est: ~~primitivi, mentalitas mythica, antiquae civilizationes superiores, earum differentiationes, diva~~ ubique una et eadem est: alia est in uribus, alia in pagis (pagani), alia in hac natione et alia in illa; alia hoc saeculo et alia in saeculo antecedente; alia in occidente et alia in oriente; alia in ~~ex~~ ex cultos et alia inter primitivos.

Sicut Piaget evolutionem parvulorum, ita etiam generis humani evolutio datur: differentiatio, combinatio, combinationum complexio.

f Unde consideratio methodologica ad historiam extenditur.

Historia de qua scribitur, supra; quae scribitur, nunc.

Historicus est, qui talem operationum complexionem cum tali horizonte adhibet ut operationum complexionem atque horizontem aliorum et olim degentium investigat.

Eg exegeta britannicus, circa annum 1910, talis religionis, talis philosophiae, talis formationis, circa talem librum VT vel NT tractans.

Unde scholae exegeticae, historicae, dividuntur non tantum secundum obiecta sed etiam secundum horizontem et methodum et technicas a subiectis adhibitas.

Unde historia critica: quae non solum obiecta sed etiam subiecta subdit crisi.

Religiosus quod
multis de die
est - Methodo
non de die

Sed una
directio de
historia

ter

5. De ipsa consideratione methodologica.

a Est de operationibus immediate, mediate de subiectis et obiectis.

b Est comparativa, genetica, dialectica.

Comparativa: est elementum empiricum -- comparantur diversa ut perspiciatur, in quibus conveniant, in quibus inter se differant. Quia attenditur ad data, habetur elementum empiricum, factuale. Quia attenditur ad differentias, habetur indicatio circa sensum, intelligibilitatem -- non sane omnis differentia est magni momenti, complures et maxime obviae non sunt nisi superficiales -- sed quo magis comparatio extenditur, eo facilius ordo quidam in ipsis differentiis perspicitur, hanc ab illa dependere, vel illam praesupponere.

Genetica: series chronologica in qua aliae differentiae aliis accedunt: novae differentiationes, novae combinationes, novae complexiones; ubi antiquae retinentur, modificantur, omittuntur.

Dialectica: additiones et omissiones indicantur; amittitur authentia, vel ad authentiam reditur; *intuitus (synthetici)* ~~intuitus (synthetici)~~ *obiectivum (cf. insight, Index, Sr. Sura, Sr. Social.)*

c Est consideratio una, synthetica, concreta, historica.

Una: omnia considerat sub unica ratione operationis, operantis, operabilis.

Synthetica: in quantum est genetica *dialectica* ~~synthetica~~

Concreta: in quantum ad maxime particularia descendendi potest; de differentiis linguisticis, styli, orientatione, interesse, etc., inter hanc et illum poetam, hoc vel illud poema, etc.

Historica, critico-historica: in quantum considerat operationes, (1) antiquorum, (2) historicorum secundum diversas scholas, nationes, etc.

d Est transcendentalis. E Coreth Metaphysik Innsbruck 1961 J de Vries, Scholastik, 36(1961), 481-496

Nam considerat operationes intellectus et voluntatis, quorum obiecta sunt transcendentalia (ens, verum, bonum). Considerat operationes secundum omnes earum differentias (ens non est quid abstractum, nam abstractiones non existunt; ens est omnia circa omnia; similiter bonum et malum sunt in rebus, et in rebus non habentur abstracta).

~~Estne transcendentalis sensu Kantiano.~~ KRV, B 25, cf. A 11: "Ich nenne alle Erkenntnis transcendental, die sich nicht sowohl mit Gegenständen, sondern mit unserer Erkenntnisart von Gegenständen, insofern diese a priori möglich sein soll, beschäftigt."

Transcendentalem nomine omnem cognitionem quae non tam de obiectis quam de modo nostrae obiectorum cognitionis tractat, in quantum hic ~~modus~~ cognoscendi modus a priori possibilis esse debet. Unde est in quantum non de obiectis sed de operationibus, de modis operandi, tractat.

Non est in quantum non speculatur de aprioristica possibilitate sed empirice considerat complexiones de facto existentes.

Quodammodo accedit in quantum, authentiam, eamque absolutam, dialecticam in rationalitate fundatam, tamquam indicandi principium adhibet.

a priori: ultra hunc empiricum actum dialecticam abstractis, qui empirice empirica non dicitur

*complexis
intuitus
operantis
operabilis
synthetici*

*intuitus
operantis
operabilis
synthetici
hinc Psychologisches Index*

Etiam alio sensu dici potest transcendentalis.

Non tam de singulis operationibus quam de earum combinationibus cogitat. Qualis autem erit ~~erit~~ combinatio operationum, talis etiam erit combinatio in operatis. E.g., similitudo inter combinationem operationum in domo aedificanda et, alia ex parte, structuram domus aedificatae; iterum similitudo inter (1) notas musicas in folio exscriptas, (2) combinationes operationum a musico peractas, (3) combinationes sonorum auditas.

Fraeterea, sunt combinationes operationum quae vel vi naturae oriuntur vel hypothetice necessariae sint; unde necessitate quadam vel naturali vel hypothetica ponuntur tales combinationes operationum, unde similes combinationes in operatis deduci possunt. E. g., si humana cognitio obiecti proportionati per experientiam, intelligentiam, et iudicium peragitur, sequitur ipsum obiectum proportionatum esse tripliciter compositum, nempe, quidditas sive natura in materia corporali existens (Sum. theol., I, q. 84, a. 7 c.), ubi quidditas sive natura per intelligentiam, materia corporalis per experientiam, existentia per iudicium innotescunt.

§ ^{haec} Estne methodus transcendentalis Kantiana?

Habetur aliqua similitudo inter methodum supra descriptam et methodum a Kant adhibitam. Nam secundum Kant transcendentalis est scientia seu theoria quae considerat non obiecta sed modum cognitionis, et ipsum hunc modum non qualitercumque sed secundum possibilitatem a priori. KVR B 25 A 11. N. K. Smith, Commentary, London 1923, p 74 s. Iam vero methodus supra descripta, primo, considerat non obiecta sed operationes, deinde, operationes considerat secundum combinationes quae vel naturali necessitate vel hypothetica oriuntur et ideo quodammodo a priori (ab experientia independentes) sunt.

Ex tali similitudine tamen non rite concluditur ad omnimodam identitatem, cum ex elementis communibus nullatenus ad conclusiones specificae kantianas procedi ~~possit~~ possit. Quae enim doctrinam specificae kantianam faciunt, sequentia sunt:

- a) nulla est obiectivitas immediata nisi per intuitionem (Anschauung);
- b) intuitio humana non est nisi apparentium;
- c) unde omne iudicium humanum validum necessario est iudicium tantummodo de apparentiis;
- d) et manifesta aperitudo mentis (potens omnia facere et fieri) non potest esse nisi illusio transcendentalis.

Attamen aliter crisi doctrinae kantianae faciunt realistae intuitivi et ~~aliter~~ aliter realistae discursivi.

Realistae intuitivi concedunt primam praemissam kantianam, nempe, obiectivitatem immediatam non habere nisi per intuitionem; sed negant praemissam ~~ixt~~ alteram, nam quam statuunt ~~intuitionem~~ intuitionem eam non apparentium sed ipsius realitatis esse asserunt.

Realistae discursivi negant tum primam tum alteram praemissam kantianam; sane si obiectivitas esse non posset nisi quae imaginatione repraesentetur, admittenda esset prima praemissa; sed necessitas imaginationis est necessitas mythica; et existentia intuitionis (quod non est confundenda cum visione oculari) ~~pariter utitur~~ prout a Kant et a realistis intuitivis concipitur pariter mythica quaedam fabricatio est; unde et intuitio sive apparentium kantiana sive ipsius realitatis (intuitionistarum, perceptionistarum) non minus mythica est. Circa naturam obiectivitatis, Insight, cap. XIII.

Unde et ulterior est differentia. Qui enim obiectivitatem in intuitionibus ponunt, a priori omnem fere methodum et non tantum transcendentalem excludunt; iis enim alia non potest esse methodus nisi quae in eliciendis intuitionibus consistit. Qui e contra obiectivitatem in veritate iudicii rationalis ponunt, structuram quae de facto in cognitione humana inveniuntur agnoscere possunt, et methodum in talibus structuris fundatam adhibere.